



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Cur sit occulta, & tam diu dilata, 2

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

ille bonus amicus anima sua te liberavit: Christus inquam. Ergo virtus salvationis tuæ, virtus est Christi. Vbi est virtus Christi? Vtique cornua in manibus, ibi abscondita est fortitudo ejus. Cornua quidem in manibus ejus: quia brachiis crucis confixæ sunt manus ejus. Quæ autem fortitudo in tanta infirmitate? Quæ altitudo in tanta humilitate? Quid venerabile in tanto contemptu? Sed certe ideo absconditum, quia in infirmitate: & ideo celatum, quia in humilitate: ideo occultum, quia in contemptu.

3. O fortitudo abscondita: hominem in cruce pendentem suspendere mortem æternam, genus humanum prementem: hominem in ligno confixum defigere mundum perpetuæ morti affixum! O celata potestas: hominem damnatum cum latronibus, salvare homines damnatos cum dæmonibus: hominem in patibulo extensum, omnia trahere ad ipsum! O virtus occulta: unam animam emissam in tormento, innumerabiles extrahere de inferno; hominem mortem corporis suscipere, & mortem animarum perimere!

## C A P V T II.

*Cur sit occulta & tam diu dilatata.*

I. **C**Ur bone Domine, pie redemptor, potens salvator; cur tantam virtutem operuisti tanta humilitate? An ut falleres diabolum, qui fallendo hominem dejecit de paradiso? Sed utique veritas nullum fallit.

Qui

Qui ignorat, qui non credidit veritatem, ipse se fallit. Qui videt veritatem, & odit, & contemnit, ipse se fallit. Veritas itaque nullum fallit. An ideo ut ipse diabolus se falleret? Sed utique, sicut veritas nullum fallit, ita non intendit, ut aliquis se fallat: quamvis dicatur hoc facere, cum permittit. Non enim assumpsisti hominem ut te totum operires, sed ut ignotum aperires. Verum Deum, verum hominem te dixisti, & operibus ostendisti.

2. Res per se occultata fuit, non studio occulta; non sic est facta, ut absconderetur, sed ut suo ordine perficeretur; nec ut aliquem deciperet, sed ut quemadmodum oportebat, fieret. Et si dicitur occultata: non est aliud, quam, non est omnibus revelata. Nam etsi veritas non omnibus se manifestat, nulli tamen se negat. Ergo Domine, nec ut falleres, nec ut aliquis se falleret, sic fecisti: sed ut faceres, quod & quomodo faciendum erat, per omnia in veritate perstitisti. Qui ergo se sefellit in tua veritate, non de te, sed de propria queratur falsitate. An diabolus habebat aliquid iuste adversus Deum, vel adversus hominem, propter quod Deus prius deberet adversus eum pro homine hoc modo agere, quam aperta fortitudine: ut dum allectum illum hominem iniuste occideret, iuste potestatem, quam super injustos habebat, perderet?

3. Sed certe diabolo nec Deus debebat aliquid nisi poenam, nec homo nisi vincere. Ita ut quemadmodum ab illo se facile permisit vinci peccando, ita illum vinceret

Q 3

usque

usque ad difficultatem mortis, justitiam integram servando. Sed & hoc non nisi Deo debebat homo. Nam non peccavit adversus diabolum, sed adversus Deum: nec homo diaboli erat, sed & homo, & diabolus Dei erant. Sed & quod diabolus vexabat hominem, non hoc faciebat zelo justitiæ, sed nequitia; nec jubente Deo, sed permittente: non diaboli, sed Dei justitia exigente. Nihil ergo erat in diabolo, cur Deus adversus eum ad salvandum hominem, fortitudinem suam celare aut differre deberet.

## CAPUT III.

*Qua & cujus necessitate se sic humiliavit.*

I. **A**N aliqua necessitas coëgit, ut altissimus sic se humiliaret, & omnipotens ad faciendum aliquid tantum laboraret? Sed omnis necessitas & impossibilitas ejus subjacet voluntati. Quippe quod vult, necesse est esse: & quod non vult, impossibile est esse; Sola ergo voluntate. Et quoniam omnis ejus voluntas semper bona est, sola fecit hoc voluntate. Non enim Deus egebat, ut hoc modo hominem salvum faceret: sed humana natura indigebat, ut hoc modo Domino Deo satisfaceret. Non egebat Deus ut tam laboriosa pateretur: sed indigebat homo, ut sic Deo reconciliaretur. Nec egebat Deus ut sic humiliaretur: sed indigebat homo, ut sic de profundo inferni erueretur. Divina natura humiliari aut laborare non eguit, nec potuit: hæc omnia humanam naturam, ut ad hoc restitueretur